

Christi eo libentius devotionis causa confluant ad illam, quo ibidem coelestis dono gratiae uberius se noverint refectos et a Christi fidelibus iugiter veneretur, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis vere poenitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in nativitatis circumcisionis epiphaniae resurrectionis ascensionis penthecostes trinitatis et corporis domini nostri Jhesu Christi octavarumque eiusdem, nec non nativitatis annunciationis assumptionis conceptionis purificationis visitationis atque praesentationis beatae Mariae semper virginis atque nativitatis beati Johannis baptistae omniumque et singulorum apostolorum, quatuor evangelistarum et quatuor ecclesiae doctorum ac sancti Michaelis archangeli et translationis sancti Thomae sanctorumque Stephani Georgii et Laurentii martyrum, Nicolai et Martini confessorum, nec non sanctarum Barbarae Dorotheae Katherinae et Margaretae virginum, Elizabeth et Annae viduarum omniumque sanctorum et ipsius ecclesiae dedicationis festivitibus et celebritate devote visitaverint annuatim et ad reparationem et conservationem aedificii calicum librorum aliorumque ornamentorum pro divino cultu inibi necessariorum manus porrexerint adiutrices, nos cardinales praefati et quilibet nostrum pro qualibet die ipsarum festivitatum et celebritate huiusmodi centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem et testimonium praesentes nostras litteras fieri nostrorumque cardinalatum sigillorum iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Romae sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, die vero undecima mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Nicolai divina providentia papae quinti anno sexto.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den fünf wohl erhaltenen Siegeln der Cardinäle an rothseidenen Schnüren.

No. 242. 1452. 13. Mai.

*Vier Cardinäle ertheilen denjenigen, welche an benannten Festtagen die Nicolaikirche in Andacht besuchen und dieselbe durch milde Gaben unterstützen werden, für jeden Besuch und jede Beisteuer 100 Tage Ablass.*

Georgius episcopus Prenestinus de Elisco, Isidorus episcopus Sabinensis de Russia, Petrus tituli sancti Marci presbyter et episcopus Vicentinus, Latinus tituli sanctorum Johannis et Pauli presbyter de Vrsinis vulgariter nuncupatus miseratione divina sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinales universis et singulis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Splendor paternae gloriae etc. Cupientes igitur ut parrochialis ecclesia sancti Nicolai opidi Lipsiczigk etc. (wie No. 241) omnibus et singulis vere poenitentibus et confessis, qui dictam parrochiam ecclesiam in nativitatis circumcisionis epiphaniae resurrectionis ascensionis penthecostes trinitatis et corporis domini nostri Jhesu Christi ac octo diebus immediate sequentibus dictum festum corporis domini nostri Jhesu Christi, atque nativitatis annunciationis conceptionis visitationis purificationis et assumptionis beatae Mariae semper virginis, et nativitatis beati Johannis, Michaelis archangeli,